

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

IV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

lectionem tibi non ingrati fore iudico. Bene & feliciter vale. Salutem conjunctam cum omni officio gratitudinis reverenter opto honestissimæ matronæ, conjugii tuæ & dulcissimis liberis. Wittebergæ Calendis Martii Anno M D L I.

David Chytræus.

IV.

S. D. Reverendi & doctissimi viri!

Utrumque prædixit filius DEI, & futuras esse majores in hac languida & delira mundi senectâ dissipationes, quam fuerunt antea; Et tamen ei cærum aliquem servaturum esse in genere humano, qui vera sit Ecclesia, & quidem docet, hunc cærum oculis, auribus, mente, voce doctrinæ & invocatione à cæteris gentibus discerni posse, in quo videlicet vox Evangelii sonat incorrupta, & vera DEI invocatio sit. Vult etiam nos ipsos hujus cætus conjunctionem omnibus officiis tueri. Quare quod nobis deliberationes vestras amanter significatis, pie facitis, & vobis gratias agimus. Exposuit enim nobis vir doctissimus & integerrimus D. Doctor Marpachius vestra consilia plena prudentiæ & fidei. Vicissim autem vobis & nostras, & vicinorum quorundam deliberationes recitabit, quas quidem cum vestris congruere judicamus. Non existimamus, gubernatores repugnatos esse voluntati Imperatoris, qui jubet, ut suarum Ecclesiarum doctrinam in Synodo exponant. Et si igitur multi cogitantes quantum sit periculi contendant, nequaquam adeundam esse Synodum; tamen si missi fuerimus, & in illo consensu volet nos audiri Imperator, non defugere confessionem possumus. Erit autem & honestius, & Ecclesiis hoc tempore, & ad posteritatem utilius, unam esse pie consentientem vocem confessionis plurimorum. Hæc totâ de re nostros sermones & deliberationes vobis copiosius exponet Doctor Johannes. Oramus autem filium DEI dominum nostrum Jesum Christum, qui vere sibi æternam Ecclesiam colligit in genere humano, ut Ecclesias nostras Spiritu suo Sancto gubernet & custodiat, & faciat, ut vere unum simus in ipso. Bene & feliciter valete. Die 24. Aprilis. 1551. Lipsiæ.

Philippus Melanthon, nomine Theologorum in utraque Academiâ Lipsi. & Witteberg.

V. S. D.